Intimatio Synodalis

# Nos Gustavus Adolphus Dei gratia ect.

Notum volumus omnibus et singulis praesertim quorum inter est hasce nostras visuris et lecturis. Si Reges et Principes veteris aevi pium et necessarium putaverint ut quovis tempore universales Synodi cogerentur, cum ad certitudinem verae et orthodoxa Religionis conservandam; tum Schismata, si qua in ovile Christi irrepserint extirpanda et damnanda: Certe non minus pium ac salutare putavimus, ut per annales Synodos haec nostra Livonia, diu non tantum bellicis motibus misere exagitata: verum etiam in qua vera et sincera Religio Pontificiorum praestigiis per multos annos infecinata exulavit, quasi postliminio restituatur: Quare et nos pro Zelo erga veram Religionem inducti, sancimus et ordinamus, et in posterum omnino fieri volumus, ut quolibet Anno certa synodus Volmaria (nunc Vendae) circa Dominicam Esto mihi per nostrum Superintendentum Rigensem Reverendum M. Hermannum Samsonium solemniter celebretur, prout hisce nostris praenominato Cisdunensium Ecclesiarum nostrarum in Livonia Superintendenti serio injungimus et mandamus, ut praefacto tempore annuatim Pastores huius Livoniae eo convocet et inter sese ipso Praeside de Articulis Fidei Augustana Confessionis convenientibus communicent, et unice sua Consilia et Conclusiones eo dirigant, ut vera et sincera Religio hisce terris restituatur, conservetur et a damnatis Pontificiorum technis repurgetur. Quare omnibus huius nostrae Cisdunensis Livoniae Pastoribus mandamus, ut ad convocationem Superintendentis nostri praesto sint, illiusque praesidentia se sine tergiversatione sistant, de rebus ad puriorem Doctrinam spectantibus pie, pacifice et sine scandalo communicent, sub gravi animadversione nostra Severius facturi. In quorum omnium majorem fidem praesentibus manu nostra subscripsimus, iisdemque sigillum nostrum Supprimi mandabimus. Dabantur Rigae die 2a. Mensis Octobris Anno 1625.

Gustavus Adolphus (L. S.)

(D. 23. July. 1810 Riga. ex archivo Consist. Supremi Livonici.)